



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Sexta Visitatio. Animant ad virtutes.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

*Sexta Visitatio.**Animant ad virtutes.*

Domine JESU, quem hinc sub speciebus Eucharisticis latentem devotè adoro, sicut in nativitate tua præsepe, ità revera in morte crux cathedra fuit, ex qua omnes virtutes nos edoces. Cùm vulpes foveas habeant & volucres cæli nidos, tu fili hominis non habuisti, ubi caput spinis acutis & oblongis circumdatum reclinares. Et ego sub capite tam spinoso membrum eligam esse delicatum? absit Domine. Mortificationem capitis & Domini mei jugiter in corpore meo circumferam. Temperantiam me docebit benedicta lingua tua præstiti atescens, & non nisi acero ac felle potata. Castitas & justitia erga proximum mihi corderunt. Nam aures meas sepiam spinis benedicti capitis tui, ne quid sive incasti sive proximo meo nocivi intret, & in animum se insinuet. Oculos, ne obtutum figant ad inhonesta, & ad bona aliena surripienda excitent, sanguine ex benedictis oculis tuis affluente obtegam. Carnem, ne impuri exsurgentes motus prædominentur, in honorem flagellati dirissimè corporis tui castigabo non quasi aerem verberans. Manus pedesque, ne ad illicita injusta se extendant aut progrediantur, in honorem sacratissimorum tuorum in manibus ac pedibus tuis vulnerum constringam, ut castus & justus sive suum cuique tribuens maneam. Tu in medio

latronum pendens continuò genuinæ humilitatis exercitium mihi instillabis. Amantissimum cor tuum adeo angustiatur & afflictum, cui me totum immergo, instigabit me jugiter, ut ad te unicum finem summum bonum meum faciam ascensiones in corde meo, viva fides in eo magis semper augeatur, spes quatenus desiderium & animi erectio semper magis confortetur, contritio ferventiores de peccatis præteritis fundat lacrymas, caritas perfecta magis magisque accendatur, & zelus animarum tuo pretiosissimo sanguine redemptarum ita me totum conformiter vocationi meæ intimaque fibras pervadat. Ut nulla difficultas in agendo & pariendo me absterreat, ubi animam è Diaboli faucibus eripere, tuisque velut supremi Pastoris humeris ovem perditam imponere poterò.

Septima Visitatio.

Acunt desiderium Christo pro me passo ac mortuo æternum fruendi.

O Domine JESU adoro te hìc in S. Hostia præsentem. Incredibili autem ætuo desiderio te pro me mortuo & tanta passo in æternum fruendi. Adoro benedictum caput, oculos ac os tuum, & infinitis osculis id in æternum dissuaviare desidero. Adoro sacros pedes tuos, & ubi eos in cælis fixeris, vestigia exoculari, & ad pedes tuos dulcissima verba tua in æternum cum Magdalena audire desidero. Adoro sacras manus & benedictam carnem tuam, teque amplexibus stringere, & à te stringi in æter-